

SIMONIS PAVLI HIL-
SCHERI

MEDICINÆ DOCTORIS ET THEORETICES
PROFESSORIS PVBLICI ORDINARIJ

h. t. FACVLTATIS MEDICÆ DECANI
PROLVSIO

DE

DIGNITATE VENTRICV-
LI IN MEDICINA

PVBLICÆ INVITATIONI

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

MEDICAMENTIS ALTERAN-
TIBVS

D. IX. AVGVSTI HABENDAM

PRAEMISSA.

IENÆ D. III. AVGVSTI MDCCXXXII.



LITTERIS MULLERIANIS.

Physiol.
258, 38.

1/10
110

XVII-58

SIMONIS PAVLI HIL-

SCHERI

PROFESSORIS ET THEORICIS

PROFESSORIS MEDICINAE

IN UNIVERSITATE MEDICAE BOHEMICA

PRAGENSIS

DE

DISSERTATIONE

IN MEDICINA

DE

DE

DISSERTATIONE DE

DE

MEDICAMENTIS ALTERN-

ATIVIS

DE

ANNO D. M. DCCLXXVII



Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



Solet, suffragante experientia, istarum personarum, quæ non solum variis, iisque gravibus, in totius rei publicæ salutem in se susceptis eminent officiis, sed quibus etiam amplæ cum familiis splendidis in civitate intercedunt necessitudines, tanta esse autoritas atque dignitas, ut quivis prudens eas convenienter colat, ipsasque ulla ratione lædere summo evitet studio.

Potest, meo quidem iudicio, hæc in civitate prudenter vivendi consuetudo non plane inepte ad rem publicam microcosmicam, si ita loqui licet, sive œconomiam animale corporis nostri transferri, & in hoc posita viscera principaliora, usu & consensu cum aliis insignia, applicari, ceu quæ medicus in medicina facienda constanter ac ita observare debet, ut eadem præsertim bene se habeant, nec ex ipsorum læsione valetudo corporis aliquam contrahat labem.

Meretur inter hæc viscera si non principem, nullo modo tamen infimum, locum *ventriculus*; & ea propter *de dignitate hujus visceris in medicina* quædam hac prolusione commentari consultum duxi.

Munera autem, quæ stomachus in salutem totius œconomia animalis gerit, sunt plane egregia.

Primum enim est interpres indigentia publicæ, h. e. defectus alimentorum, tum siccorum, tum humidorum in sua cavitate, nec non partium nutritivum ac spirituosarum in toto corpore. Hujus vero indigentia index vulgo dicitur appetitus cibi & potus, seu fames atque sitis. Quantum vero hæ actiones in œconomia animali legitime fientes ad ipsius integritatem conferant, harum læsio in anorexia, dysorexia, bulimo, fame canina, pica, malacia, siti nimia, vel abolita, demonstrat.

Porro ventriculus inter viscera chylicationi inservientia primas tenet. Enimvero vtriculus hicc membranaceus alimenta solida, masticatione prævia in ore præparata, ac per oesophagum in sui cavum detrusa, ope caloris, menstrui ac motus sui duplicis digerit, extrahit ac in massam cremiformem commutat, vt ab eadem e sua cavitate in intestinorum tenuium tubum translata, ibidemque cum bile, succo pancreatico & lymphâ intestinali permixta ac perfectiori reddita, succus dulcis atque albus, instar lactis, sub nomine chyli, separari, & per radices valorum lacteorum in horum canaliculos adigi, atque ex his demum per vias chyliferas notas ad massam sanguineam, pro ipsius conservatione ac restauratione, deportari possit.

Qui-

Quicunque itaque circa hoc ventriculi munus accurata mentis trutina pensat, quod chylus sit totius massæ sanguinæ & omnium reliquorum, ab hac in oeconomia animali secretorum, fluidorum materia prima: is sane facillime judicare poterit, quod insigne integræ sanitatis momentum positum sit in boni chyli elaboratione, & quæ ideo dignitas sit habenda ventriculo. Etenim, sobrio sensu intellecta utique sua radiat veritate illa medicorum climax: Qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales spiritus, qualesque spiritus, talis sanitas.

Post hæc momenta ventriculum in praxi medica solícite observare ac colere jubet ejusdem tenera ac delicata quasi structuræ ratio & inde dependens acerrimus sensus, nec non insignis consensio, quæ ipsi cum potioribus omnium trium ventrium visceribus, immo & artubus, intercedit.

Quod structuræ teneritudinem ac sensilitatem attinet, debetur eadem duobus insignibus paris octavi ramis, per totam ventriculi substantiam sese diffundentibus & tunicam ipsius constituentibus nerveam. Maximus tamen ipsius sensus viget circa orificium sinistrum, ob fibrillas nerveas insigni in copia ibidem factas, ac in coronam, nerveam dictam, expansas.

Arctæ denique consensionis rationem visceris nostri cum cerebro, dura matre, spinali medulla, faucibus, aspera arteria, corde, pulmonibus, diaphragmate, hepate, mesenterio, renibus, intestinis, utero & artubus ipsis, docent non solum distributiones nervorum paris maxime vagi, quod

ventriculo dictisque visceribus plurimis propa-
 gines concedit, sed etiam divisiones nervorum, inter-
 costalium dictorum, ceu inter quos & dicti octavi
 paris ramos magna viget affinitas & communicatio,
 sicut præter WILLISIVM, egregie ac ita demonstra-
 vit VIEVSSENS *Neurographia Lib. III. c. 4. & 5.* ut
 evolvi ac l. c. legi summo mereatur jure. E soli-
 cita vero intimatorum ventriculi munerum, ejus-
 demque cum tot egregiis visceribus consensionis
 pensitatione fluunt varia insignis usus porismata diæ-
 tetico-practica, quorum unum alterumve solum
 proponam.

Primum enim ante omnia quivis homo, qui
 sanitatem sartam atque tectam servare cupit, in id
 suam potissimum dirigere debet curam ac cogitatio-
 nem, ne robur ventriculi nimia alimentorum, tum
 esculentorum, tum potulentorum, ingurgitatione de-
 bilitet, aut etiam variis qualitatibus noxia, nec prius
 correctæ, præsertim in majori quantitate, in ipsum
 ingerat. Enimvero adserere non erubesco, quod
 admodum multi morbi, tum acuti, tum potissimum
 chronici, ex ventriculi per illegitimam diætam læ-
 sa constitutione & hinc vitiata chylicatione pri-
 mam suam trahant originem, sicut de hoc non so-
 lum supra recensita appetitus vitia testantur, sed id
 etiam apepsia, dyspepsia, nausea, vomitus, singultus,
 colica, cholera, lienteria, diarrhoea, dysenteria,
 malum hypochondriacum, cachexia, hydrops, fe-
 bres intermittentes, item quandoque acutæ, nec non
 calculus ipse, affectus arthritici, scorbutus, dolor
 capitis, & longe plures, satis luculenter sæpe confir-
 mant.

Quem-

Quemadmodum vero cujusvis hominis, suæ sanitatis amantis, per dicta, officium est, probam rationem habere ventriculi: ita etiam medicus in medicina faciendâ & exhibendis pharmacis uno oculo ad ipsum affectum p. n. præsentem, altero vero semper ad istum respicere, simulque bene perpendere debet: an etiam hoc vel istud pharmacum, vel hanc istamve medendi rationem possit ferre ventriculus. Enimvero nisi medicus ad hoc semper in morborum cura attendat momentum, gravissime peccare, & aliquando vel morbum præsentem graviolem reddere, vel etiam ægrotum in morbum alium, priori pejorem, præcipitare solet.

Manifestum hujus rei exemplum occurrit sæpe circa curam gonorrhoeæ, quando homines genuina methodo medendi nondum satis imbuti eandem suscipere audent nimia medicamentorum absorbentium, terebinthinatorum, immo quandoque saturninorum ipsorum exhibitione. Ast incongrua tali medicatione ejusmodi personæ commissum curæ suæ ægrotum facillime in dysorexiam, dyspepsiam, obstructionem alvi, colicamque præcipitant, & cachexiæ fundamenta struunt, nisi in tempore a prudentioribus his malis meliori methodo obviam eatur.

Idem nostrum dictum confirmat quoque satis frequenter nimius decoctorum infusorumque pugillarum ac calidorum usus. Nam dum quidam medici, non satis cauti, majorem talium aqueorum medicaminum quantitatem, salia peregrina ac copiosa diluendi fine, ingerendam præcipiunt suis ægrotis,
quam

quam eorum ventriculus ferre potest, facile huius tonum laxatum menstruumque enervatum sequuntur appetitus vel imminutus, vel prostratus, nausea, aepesia, ructus, vomitus, tormina, immo quandoque cachexia. Id quod etiam de incongruo thermarum ac acidularum, item curæ lactis, vel seri ejusdem, & quam maxime emeticorum & purgantium usu valet. Quam male enim tales medicationes sæpe cedant, nisi ventriculi status circa easdem proba simul habeatur ratio, docet quotidiana experientia.

Atque hanc a me adsertam ventriculi in medicina dignitatem Q. SERENVVS SAMMONICVS, medicus & poeta medio seculi tertii clarissimus, accurate cognovit, & ea propter in libro de re medica seu morborum curationibus cecinit:

*Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur,
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra
Et contra ejusdem infirmantur cuncta dolore.*

Nullum etiam mihi dubium est, quin clarissimus & dignissimus noster summorum in arte salutari honorum Candidatus,

TOBIAS BENJAMIN FVCHSIVS,

*in dissertatione sua inaugurali DE MEDICAMENTIS
ALTERANTIBVS non pauca lectu dignissima con-
signaverit de dignitate ventriculi in foro practico, cum
medicamenta interna in eodem primam præstare sole-
ant*

ant alterationem : ideoque etiam ego de his cogitans
 prolusionis meæ finem facio & ad recensionem vitæ
 ac studiorum Candidati nostri me converto.

Excepit autem istum A. C. M DCC IX. D. XXV. Fe-
 bruarii parentibus perquam honestis editum, & pa-
 tre quidem TOBIA JOANNE FVCHSIO, Gera Va-
 risco, mercatore & Capitaneo militiae ex civibus
 conscriptæ nobilissimo, matre vero ANNA ROSINA,
 gentis Burghardiæ, VRATISLAVIA, totius Silesiæ
 metropolis, non solum frequentibus mercimoniis,
 amplitudine, splendore & opibus, sed etiam artium
 ac bonarum litterarum cultura præsertim florentis-
 sima.

Postquam *Noster* annum circiter quintum atti-
 git, mater immaturis fatibus functa educationis curam
 omnem lectissimo reliquit patri, qui etiam sedulam
 navavit operam, ut filius in pietate, bonis moribus
 & litteris instrueretur, atque in hunc finem septem
 annos natus in Gymnasium Maria-Magdaleneum, cu-
 jus t. t. Rector clarissimus fuit M. KVPPFENDERVS,
 missus fuit. Nihilo tamen minus privata institutio-
 ne optimorum quorundam præceptorum semper si-
 mul gavisus est. Cum vero anno M D CC XXI.
 providentia divina, suavissimo quoque patre beata
 morte defuncto, ipsum reddiderit orphanum, ideo
 GODOFREDVS FRIDERICVS FVCHSIVS, patrue-
 lis *Nostri* dilectissimus & mercator Vratislaviensis am-
 plissimus, ipsum suæ tutelæ ac curatellæ perquam ha-
 buit commendatum, & continua serie bonis litteris
 erudiendum curavit, quo factum est, ut in primum
 laudati Gymnasii ordinem collocatus clarissimorum

B

viro-

virorum, M. CHRISTIANI STIEFFII, Rectoris, Historiarum & eloquentiæ P. P. nec non Regiæ scientiarum societatis Borusicæ membri; M. KELLERI Philos. Theoret. L. L. Oriental. & Theol. Thet. P. P.; & Conrectoris, CHRISTIANI RVNGII, Philos. Practicæ & stili PP. fidelem doctamque experiretur institutionem.

His acroasibus, studiis, quæ humaniora dici solent, probe innutritus animum ad medicinam addiscendam applicuit, atque ea propter Anno M D C C X X I X. post festum Paschatos Athenas nostras Salanas adiit, ubi fasces Academicos gerente excellentissimo & consultissimo viro, D N. D. WILHELMO HIERONYMO BRVCKNERO, Icto celeberrimo, serenissimorum Saxonix Ducum propaginis Ernestinæ Consiliario Aulico splendidissimo, & totius Senatus Academici Salani Seniore venerabili inter cives nostræ Academiae fuit receptus.

Mox vero genuinam studiorum suorum rationem habiturus scholas philosophicas frequentavit D N. W V C H E R E R I, S. S. Theologiae Doctoris, Philosophiæ naturalis P. P. Ordinarii, item Theologiae Extraordinarii celeberrimi, cursum philosophicum, quem vocant, dexterrime prælegentis.

In studio vero medico, item suo modo, philosophico, pependit fere ab omnium celeberrimorum & excellentissimorum ordinis medici Professorum ore, indefesso labore, siquidem venerabilis Senioris D. D. W E D E L I I, Chemiæ ac Praxeos Professoris Ordinar. serenissimorum Saxonix Ducum

cum

cum stirpis Ernestinæ Consilii & Archiatri, item Isnacensis Aulici, Collegiis in Institutiones, Chemicam, & methodum medendi; nec non practicis publicis magno cum fructu interfuit.

Non minus perquam sedulo frequentavit D. D. TEICHMEYER, Chirurg. Anat. & Botan. P. P. O. nec non Consilii Aulici Saxo-Vinariensis & Isnacensis, Collegia facundo ore habita; nominatim Physicum Experimentale, Oeconomicum, Anatomicum, Botanicum, Chemicum, de præscribendis formulis, nec non practicum.

Porro fidelissimum præceptorem est expertus D. D. HAMBERGER, Med. P. P. O. nec non Philosophiæ Publ. exponentem privatim Physicam experimentalem, Mathesin universam, nec non ad medicinam applicatam, item Physiologiam medicam; publice vero Semioticam generalem & Chemicam.

Denique & me, sive Pathologiam, sive Semioticam generalem ad filium Excell. Vateri Semioticæ, publice docerem, magna cum animi attentione auscultavit.

Vt vero *Noster* in vita civili rebus suis eo melius consulere posset, usus quoque est institutione privatissima Consultissimi D. D. & Consilii Saxo-Martisburgensis KAMPERI, prælegentis Jus Civile Germanicum, ad ductum Compendii Struviani.

Tot igitur exercitamentis philosophicis ac medicis probe exulto ingenio, & acquisitis in arte salutari profectibus sufficientibus, honores in eadem summos capeffere secum constituit. Cumque a Facultate nostra benevole admissus in duobus exa-

minibus his honoribus dignum se eidem probaverit, ideo non dubitavit ipsi cathedram publicam, pro Dissertatione inaugurali commemorata sub supra laudati Venerabilis Senioris ac Consilarii Aulici WEDELII præsidio ad diem IX. hujus mensis habenda, aperire.

Huic Panegyri ut Magnificus Dn. Pro-Rector, Magnificus Dn. Pro-Rector designatus, illustrissimi Dnn. Comites, Proceres Academiae excellentissimi omniumque ordinum Hospites & Commilitones nobilissimi gratiosa ac amica præsentia interesse dignentur ac velint, devote, decenter, ac officiose oro, rogo atque invito. P. P. Sub Sigillo Facultatis, Jenæ M DCC XXXII. D. III. Augusti.

